

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Statutorvm Illvstris Gymnasii Gothani De Scholasticæ  
Ivventvtis Laxamentis Svmma Ratio**

**Vockerodt, Gottfried**

**[Gotha], 1719**

**VD18 13074709**

## Abschnitt

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



I. Ludicra repudiantur a doctis; expetuntur ab imperitis: II. damnantur ab ipsis Epicureis; & contemnuntur, vbi religionis nomine admittenda fuere: III. oppugnantur a populo DEI: IV. eiurantur a Christianis. V. Repte ergo prohibentur in scholis. VI. Harum legum defendenda autoritas. VII. Defensor, & orator primus demonstrat meliora ludicris laxamenta. VIII. Om̄tor secundus lascivientem iuuenturem ad citibilem statum, & decus docet traducere. IX. Orator tertius leges munis exemplis. X. Ad audiendos oratores inuitantur schola PATRONI.

### I.

**E**lices praedicit Ouidius. (a) quibus cura fuerit, stellarum cognoscendarum causa in superas scandere domos: nec temere credit, ut admoveant oculis sidera, & aethera supponant ingenio, facile relinquere, & abiicere, quae vulgo maxime expetantur, mortalium pretia, & humanae cupidinis illecebras: nec solicitari fame opum, nec gloriae fuko; nec, quae ad illas compendiariae viae creduntur, sectari, forum, militiamue: primo autem loco coelum petentes vitia, expugnantia pleraque mortalium pectora, venerem, & vinum, &, quae haec commendant, ludicra omnia dimittere, vitiisque iocisque altius caput exerere, pronunciat. Populum, & vulgus imperitorum ludis delectari, Cicero affirmat. (b) Nec potest cupere ignorata oblectamenta meliora, ad-

(a) Fastor. L. I. (b) pro Mur.

miranda naturae, & artis opera, magnifica diuinæ prouidentiae, & sapientiae munera, mysteria salutis in diuinis monumentis perscripta: a quibus inuestigandis, percipiendis, & ad delinie-  
dos sensus interiores, veroque, & solido gaudio implendum, & fatiandum animum quos vel nascendi conditio, vel inita a pri-  
ma aetate certa vitae ratio, vel populares errores, & corrupte-  
lae prohibuerunt, non est mirum, obuiis in multitudine, com-  
mendatisque vsu ludis, iocis, nugis ita implicari, vt non alia  
aerumnosae vitae solatia, & curarum laborumque laxamenta  
esse credant; nec vitam suam aliquid esse putent, nisi per ludum,  
& iocum fuerit transfigenda.

II.

Errare, qui ita sentiunt, adeo agnoscebant docti olim  
viri, vt sequentes etiam deteriora, vitae vsu, & facti exemplo,  
non dissimularent tamen, se videre, & probare meliora: quam-  
uis, quod recte illis APOSTOLVS (*c*) exprobrat, bene iudicando, &  
male faciendo, id faltem consequerentur, vt minus excusate pec-  
carent. Ipse voluptatis magister, Epicurus, tam siccum volunta-  
tis capienda rationem inculcasse Maximo Tyrio videtur, vt eo  
autore nemo potuerit lasciuire. Qui se de eius grege porcum  
ipse profitetur, POETA lyricus, non obscure significat, rectae ra-  
tioni contraria agitare, qui festo Neptuni die, quo religio luden-  
di licentiam dabit, hac vterentur cum multitudine, dum hoc  
paecto munitae sapientiae vim adhibendam dietat. (*d*) Qui sub  
Saturnaliorum, Bacchanaliorum, & Quinquatriorum, aliorum-  
que ludorum, quo nomine omnes fetti gentilium dies insigni-  
untur, solennia cum Salaribus, & Lupercalibus palam effunde-  
bantur in licentiam, quamvis diis seruire viderentur, visi ta-  
men sunt tam abhorrere a bonis moribus, & tam infames fue-  
runt, & detestabiles honestioris notae viris, quam adhuc sunt, qui  
in barbaris Indiae nationibus mystarum nomine seruiunt ido-  
lis. Quod dum ludendo, & saltando peragunt, non nomen so-

] [ 2

lum

(*c*) Rom. II.

(*d*) Lib. III, Od. 28.

8.VIII. (i)

Ium, & nota meretriciae infamiae illis inuritur; sed honestiores  
quiue eorum fugiunt commercia.

III.

Sane, populum DEI abhorruisse ab illa ludendi, nugandi-  
que licentia, satis constat. Dum Antiochus alios illi mores da-  
re ausus est, Tacito etiam teste, (e) idque aperiendis ludorum  
scholis, (f) has ita oppugnauit, ut non magis pro salute, quam  
pro integritate moris priſci, a nūgis istis intaeti, potuerit dimi-  
care: quod MACCHABAICORVM factorum initium, & occasio fuit:  
expertaque est profanorum ludionum turba cladibus maximis,  
quanta vis sit populi non fracti malis moribus, vel infirmati lu-  
dendi, & nugandi licentia.

IV.

Quam longe a Christiani populi instituto abfuerit illa li-  
centia, vel antiqua foederis formula declarat, qua fidem Christo  
polliciti sunt eius nomen professi. Ludis, spectaculisque diser-  
te olim renunciarunt, quotquot sacro lauacro initiati sunt. Quot  
sanctorum patrum dictis, & conciliorum autoritate damnata, &  
proscripta fit e coetibus Christianis ludionum vanitas, non est  
opus commemorare; nec haec tabula patitur.

V.

Quod igitur ab ipsis gentilibus fuit improbatum, ut rectae  
rationi contrarium: a praecipuis licentiae patronis proscriptum,  
& munitae sapientiae vim adhibere iudicatum: a populo veteris  
foederis pertinacissime repudiatum; a cultoribus foederis noui  
eiusuratum; nec probatur iure naturali: quod tempus, ac vires  
corporis, ingeniique rectius, quam nūgis, consumere docet:  
nec ciuili, quod eo nequorem aleatorem pronunciat, quo est  
melior: id sane nec moribus, nec temporibus nostris conuenit,  
nec ulli hominum generi, vel ordini, tanquam curarum, & labo-  
rum laxamentum permitti potest, vel commendari. Hinc, credo,  
satis appetet, cur ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI statuta  
*inter-*

(e) Hist. V. 8.

(f) 1. Macc. I, 25.

intercedant ludendi licentiae, ac diserte vetent aleam, pictarum chartarum praestigias, symposia, omnem lasciuiae ostentationem in cantu, fidibus, & tibiis, iactationesque corporum vehementiores omnes; ac pro his commendent pia ac religiosa canendi, precandi, liberaliumque artium exercitia. Constat & hinc summa ratio legis, & praescripti ERNESTINI: quod publicis patriae legibus insertum est: cuius notae esse debeant supremis in cathedris ILLVSTRIS GYMNASII docendi munere functuri? non imperiti videlicet naturalis scientiae, & mathematicarum disciplinarum, vt legitima corporis, animique laxamenta inde depromere, dissentibusque, quos operis scholasticis, & nimiis lucubrationibus obrui, & obtundi non est aequum, tempestue possint proponere, ne quoties ex ludo litterario, quo nomine dudum scholae appellatae fuerunt, dimittuntur, lasciuant in palaestris, vel vaporariis, vel ludionum circulis, vel aleatorum conuenticulis, & misere otiando, & nugando pereant, perdantque alios.

## VI.

Huius autem generis leges, & statuta quam reipublicae, & ecclesiae seminariis, scholis nimirum, necessaria, & iuuentuti salutaria sunt, tam inuisa sunt vulgo, & consuetudinis depravatione corruptis pene intolerabilia: atque ideo non raro contraria destinantium, perficientiumque obtreestatione oppugnantur, irritaque saepe redunduntur licentiae patrocinii. Quibus occurtere, & statutorum tam salutarium autoritatem palam propugnare, productis in medium summis eorum rationibus, non alienum mihi videtur a praesenti instituto, quo, SERENISSIMI PATRIS PATRIAE auspiciis, a supremarum curiarum, maxime PROTOSYNEDRII, proceribus ILLVSTRIS haec schola lustrabitur, docentium, dissentiumque operae inspectabuntur, doctrinae, & disciplinae offenditores inuestigatae, & deprehensae vindicabuntur. Dari hoc sibi negotium passi sunt aliquot CLASSIS SELECTAE primi ordinis alumni:

CAROLVS HEINRICVS SCHNETTER,

ALTENBURGENSIS,

IOANNES SAMUEL SCHILBACH,

VINDOBONENSIS,

IACOBVS GUILIELMVS REYNITSCH,

GOTHANVS.

VII.

Primus dicturus est

de

*legitimis scholasticae iuuentutis laxamentis;*

atque demonstrabit damnata legum autoritate ludicra exercitia  
indigna esse nomine legitimorum laxamentorum, nec corpus,  
animumque recreare, sed vtrumque perdere, valetudini, bonae  
menti, moribus, famae, fortunis obesse magis, quam prodefesse.  
Dum autem legitima laxamenta, & quae vere corpus, animum-  
que recreant, commendat tanquam rebushumanis utilia, decus-  
que ciuile, & gratiam conciliantia suis cultoribus; haec Ouidii,  
Athanasii Kircheri, & Danielis Maioris autoritate latissime pa-  
ttere ostendit, & copiosissime peti posse ex vniuerso naturalium  
& mathematicarum disciplinarum apparatu. Quibus autem in-  
numera, & immensa ista naturae, & artis opera non sufficiunt, iu-  
bet ex omnium retro temporum, locorum, populorum, factorum,  
monumentorum, signorum, numerorum, aliarumque antiqui-  
tatum, nec non nouarum rerum, quas nouus orbis aperuit, histo-  
ria obiectamenta petere; ad aures autem deliniendas assumere  
citharam Dauidicam, Mosis, Salomonis, & Iobi, aliorumque pio-  
rum hominum cantica, pectus, diuino gaudio impletia: ac, si an-  
seres olores interstrepere debeant, Graecorum, Latinorum, Ger-  
manorum, Gallorum, Italorum, & aliarum nationum carmina  
varii generis.

VIII.

CARO

II 3

VIII.

Alter differet

*de*

*civilitate scholastica,*

& ostendet, quemadmodum in scholis legitime constitutis a la-  
sciuia, & naturali licentia ad ciuilis vitæ statum, prius; deinde  
ad ciuilis moris decus pueri traducantur. Illud autem ad iura  
imperantium referet, & demonstrabit, non in singulorum po-  
testate situm esse, quomodo suos velint erudiri, & ciuili viuendi ra-  
tione imbui. Hoc autem quo pa&sto in scholis obtineatur ; ma-  
xime si verum decus ciuale ad Paulinum praescriptum exiga-  
tur, exponet diligenter.

IX.

Postremus repraesentabit

*comparata JOSAPHATI, & ERNESTI*

*PII in populo emendando merita:*

& ostendet, praesto esse debere exempli non minus, quam prae-  
cepti autoritatem: qualem vterque princeps suis institutis, & le-  
gibus accommodauit : si procliuis a labore ad libidinem iu-  
uentus in scholis cum successu ad boni moris decus debeat tra-  
duci.

X.

Quodsi itaque tribus his sermonibus satis commode initia  
LVSTRATIONIS ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI or-  
nari posse videbuntur, ad haec vt

**SVPREMARVM CVRIARVM  
PROCERES,**

& o-

& omnis ordinis litterati viri,

ILLVSTRIS SCHOLÆ

**PATRONI, FAUTORES,  
ET AMICI,**

frequentes congregentur,

*idque in auditorio classis primæ,*

*die crastino, hora VII. ante meridiem.*

qua pars est, obseruantia, rogat

RECTOR,

**GOTHOFREDVS VOCKERODT.**

---

P.P. GOTHAE, XXX, IVL, CID 10CC XIX.

---

LITTERIS REYHERIANIS,





